

Usum in quibusdam concha sola invenit. In pillulis de bdellio ad album stringendam reperitur: quamvis Monachi Mesues interpretes matrem perlarum supponi jubeant. Turcae et Cairi incolae quomodo eis utantur, superius diximus. Galli ad suspendendas claves et conficienda cochlearia utuntur. Aethiopibus loco monetae inservit. Ideo in tanto apud eos pretio, ut saepe aurum pro ea permutent, saepe filios suos vendant. In Concha majore faciem sculptam et pulchre expressam se vidisse, Gesnerus testatur.

Differentias Concharum plurimas apud Rondeletium, Gesnerum et Aldrovandum invenies. Rondeletius quatuor habet.

Prior ovi est figura, in testae extremo utroque foramen habens, alterum cibi gratia parum prominens, alterum ad excrementa rejicienda. Remoram Mutiani esse credit.

Secunda, testa est tenuiore et magis perspicua, varia quoque, et pro maculis inspersis lineolas habente, Concha simplice utrinque sese colligente.

Tertia, parte plana compressa magis est, maculis rotundis notata, durior secundo, colore candido.

Quarta, parte altera est in tumorem elata, in quo circulus aurei coloris. Alioqui tota foris est candida, intus caerulea.

Gesneri rufa major et minor non multum a Rondeletii abeunt. Illa nusquam inniti potest, nisi parte plana, quae candida est, ut intus quoque gibba, quae haemisphaerium constituit, rufa, maculis nigris distincta.

Laevitate ita resplendet, ut imagines reddat, sed obscure. Minoris dorsum in summo varium est, albis, pallidis, et glaucis maculis. Pars interna candicat.

Aldrovandus, tredecim species, si non plures ponit, ex quibus una tota ex rufo candicat, et maculis per totum dorsum oblongis et ferrugineis aspergitur: alia lutescebat primo et maculis purpureis ornabatur, in humido detenta pallidior evasit, postquam superioris corticis cuticulam exuisset. *Tertia* maculis per dorsum aterrimis rotundis et inaequalibus tingebatur. *Quarta* subpurpureis, amethystinis et caeruleis. *Reliquas* ibidem vide. Nos hic tres depingi curavimus. Quam Lusitani et Aethiopes Buzios dicunt, undique alba est, nisi quod in dorso lineae binae flavent, in ovalem fere speciem conjunctae, et dorsum ipsum inaequalium quam caeteris et gibbosum, ita ut illi quoque testa incumbere possit, sed oblique. Pars interior e roseo ad caeruleum redit.

Huc *Concham Persicam* et *Penicillos* refero. Illa a loco nomen sumfit. Est majore sui parte rubicunda, caetera candida. Margaritas proferre proditur. Minor tota cinericii coloris est. Tubulos testaceos *Penicillos* recentiorum nonnulli vocavere. Molli quadam et laxa substantia saxis alligantur, ita ut aquarum undis cedat et agitetur. Cum id carnosum, quod nimirum intus latet, se exerit, frondem expandit, sunt et in quibus vermes delitescunt, quorum sex Icones hic damus.

Aldrov.
l. 3. c. 84.

